


1. Rang: De optimo infantis perenni nati alimento 1753.  
2. Rauh: De haemopliosi 1761  
3. Reventstein: De febre pectoriali 1764.  
4. Reckmann: De cimento sano & morbo 1753.  
5. Reckmann: De thyroide Thymi etque supraventricularum glandulam  
in homine nascendam nata functionibus 1753.  
6. Reichard: De haemorrhagia uteri partum insegnante 1735.  
7. Reichard: De ulero gravidae praecoxum factu vulnerato 1735.  
8. Reinhart: De iotero 1747.  
9. Reinholt: De acronito Napolitano 1769  
10. Reinick: De potu vinoro 1736.  
11. Reit: De afflictorum haemorrhagiis uteri 1715.  
12. Reitz: De utero muliebri 1712.  
13. Reizreisen: De articulationibus analogis quae fracturi, prius  
supervenient 1718.  
14. Renaudin: De actione peristomii hum. in ingesta 1780.  
15. Reuss: De partu diff. ex porae via facie factur, fronte  
lateralis 1777.



*Q. D. B. V.*

*DE*

# *FEBRE PETECHIAL*

*CONSENSU ET AUCTORITATE*

*GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ*

*PRO*

*SUMMIS IN MEDICINA HONORIBU*

*ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS*

*RITE CONSEQUENDIS*

*SOLENNITER DISSERET*

*JOH. MARTINUS CAROLUS RAVENSTEI*

*CUSELLANO BIPONTINUS*

*A D. XXII. JUN. MDCCCLXIV.*

*H. L. Q. C.*

---

Hæc febris rubicunda dedit cui purpura nomen  
Tingat erythræo quod corpora nostra colore  
Purpureisque notet maculis, novitate maligna  
Terruit.

*PORTI Dec. Med. L. X. c. 23.*

---

*ARGENTORATI*

*Excudebat JOH. HENRICUS HEITZ Universitatis Typographus.*



SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
CHRISTIANO IV  
PRINCIPI PALATINO  
AD RHENUM  
DUCI BAVARIÆ  
COMITI VELDENTIÆ  
SPONHEMII & RAPPOLTSTENII  
DYNASTÆ IN HOHENAC  
ET GEROLDSECK

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-520563-p0007-2

PRINCIPI  
JUSTO, FORTI, FELICI  
PATRI PATRIÆ  
DOMINO CLEMENTISSIMO  
DISSERTATIONEN HANC INAUGURALEM  
PIA INTER VOTA  
MENTE  
QUA PAR EST  
HUMILI, GRATA  
CONSECRAT  
COMITI ALDENTIA  
SPOHLEMUS RAPPOLSTENI  
DYNASTIA IN HOHENAC  
ET GEROLDSCHEK

devotissimus Cliens  
AUCTOR,



## DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

### FEBRE PETECHIALI.

§. I.

**M**aculae, pustulae, papulae, phlyctenae vel cum  
vel absque febre in cutis superficie gregatim pro-  
rumpentes nomine Hippocratico in genere vocan-  
tur Exanthemata, a Graeco ξανθέματα, effloresco, unde & Latinis  
Efflorescentiae, quasi dices, flores in cute erumpentes. Ex his  
illa in specie, que sub febre continua vel remittente erumpunt,  
Cel. DE SAUVAGES *Nosol. Method.* T. II. P. I. Clas. III.  
p. 346. fecutus magis Galenum retulit ad Phlegmasias, Morbos  
Inflammatorios. Hos inter unus ex praecipuis, tam ratione  
periculi, quam ratione modi grastandi, quoniam semper fero  
malignae indolis, cito deleterius & ut plurimum epidemicus  
deprehenditur, est ille, quem nobis Inaugurali Dissertatione  
pro tenuis ingenii viribus pertractandum summis, Febris  
sic dicta Petechialis, Petechiae. Faxit Deus feliciter!

A

§. II.

## §. II.

Febris Petechialis, alias Puncticularis, Peticularis, Lenticularis, a figura & colore exanthematum sub illa provenientium, unde & quibusdam Pulicularis, Stigmatica audit, à Cel. DE SAUVAGES L. c. p. 414. Purpura vocatur, praeuntibus ipsis in hoc PORTI Medic. Decad. L. X. c. 23. & PRIMEROSIO L. IV. de febribus C. 11. qui Febrem hancce Purpuream, Purpuratam seu Porphyroidem appellant, retento vel nomine generico Gallorum, quo efflorescentias cutaneas rubras insigniunt Pourpre, vel Græco vocabulo πορφύρα, quod purpuram denotat, ad instar veterum Græcorum, qui rubores tales sub nomine πορφυράτως comprehenderunt, monente illud FORESTO Observ. L. VI. Observ. 39. Schol. ex HIPPOCRATE, Gallis le Pourpre καὶ ιζόχνη Germanis Fleckfieber, bösartiges hitziges Fleckfieber, Petechen, Petetschen, dicitur. Quod attinet vocem Petechia, illam potius barbam & novam, vel ab Hungarico Betegseg, quod apud ipsos morbum significat: quemadmodum il morbo Itali καὶ ιζόχνη pestem appellant, mutato B in P, ipsis solenne, cum TILINGIO de Febr. Petechial. p. 13. vel ab Italorum Pedechio, pulex cum HOFFMANNO Med. Rat. Syst. T. IV. P. I. Sect. I. Cap. XI. §. 4. aut, quod vulgus Italorum Petechias vocet quasi Pestichias, quod febrem pestilentialem consequantur, aut quod sint diminutivum a peste, juxta NEUERANTZ de Purpura Cap. II. p. 11. pronuntiamus, quam ut a Græco πολέμω, extendo, volo, quod maculae istæ per universum sere corpus extendantur, seu subito orientur & subito iterum evanescent, avolent, vel plane ab Hebraico Patach aperuit, quod meatus vasorum quasi aperiantur, ut materia morbifica possit exhalarē, derivemus; cum præsertim hujus nominis nulla in antiquioribus Scriptoribus mentio fiat. Distinguunt NENTER, JUNCKER, HOFFMANN & alii Febrem Petechiam veram, a spuria seu petechizante, hancce dicentes eam,  
quæ

quæ aliis morborum generibus supervenit, nec eos judicat. nec in illis constanter nec in morbi incremento observatur. ut illud nonnunquam sit in variolis, morbillis, purpura peste ipsa, præprimis autem in febre castrensi maligna, nec non morbo sic dicto Hungarico, ubi sere semper vel folæ vel aliis efflorescentiis conjunctæ superveniunt petechiae, unde etiam pro synonymis a quibusdam habentur, Germanis audit die Ungarische Krankheit, hühiges, häsartiges, pestilenzialisches Hauptfeber, Hirntoben, Feld- oder Lager-Krankheit, Hagymaz. Conf. ALBERTI & SCHULLER de Morbo Hungarico Hagymaz ejusque cura precipue per specificum. Hal. M. 1726. SCRETA de Febre castrensi maligna. Hasce Cel. DE SAUVAGES l. c. p. 417. tertiam speciem purpuræ constituere facit, illam appellans termino magis pathologico symptomaticam, *les Petechies accidentelles, le Pourpre accidentel.*

## §. III.

Antiquitatem Morbi nostri quod attinet, non a vero nos aberraturos credimus, si eundem cum FRACASTORIO de morbis contagiosis L. II. C. 6. annis 1505. & 1528. in Italia & nostris successive regionibus innotuisse, peculiarique nomine insignitum assumimus, quamvis antea certis regionibus jam familiarem & majoribus cognitum. Imo videtur nobis cum CONRINGIO & STISSER de Febre maligna, vulgo dicta Hungarica. Helmst. 1668. HIPPOCRATEM L. II. Epidem. Sect. 3. Tom. I. Opp. Ejusd. edit. Linden p. 697. ad eam alludente: ἐγένετο καὶ ἦν τοῖσι θερμῶσι πυρετοῖσι περὶ τὸν καὶ τὸν τριηπτόνα εὐ τῷ χειλὶ καὶ κάρδιᾳ, τῶσιν δέ τοις πυρετοῖς τερομένοις μάτισα ἵπει αἰσθῆται, επέρυκτοι μάτει: Fiebant autem in febribus aestivis, circa septimam, octavam οὐδὲ nonam diem, aspreitudines in cute miliaceæ, culicimi moribus maxime similes, non valde pruriginosæ; quo ultimo ipse se Petechiae a reliquis exanthematibus similibus distinguunt, non ita ὡς ὑπὸ πυρετῶν αἰσθῆται, uti aliquibus placuit.

Et nobis cum SENNERTO Lib. IV de Febr. cap. 13.  
 Tu*KL.* Opp. p. 489. nulla satis manifesta appetet ratio,  
 eur non antiqui ab his infestari potuerint, cum iisdem qui-  
 bus hoc tempore causis, unde tales febres oriuntur, apud  
 antiquos locus fuerint, & HIPPOCRATIS quoque & GALENI  
 tempore febres pestilentiales nostris ominino similes, quorum  
 Symptomata de cetero cum nostris congruant, graffatae fue-  
 rint. Quae interim ad probandam Petechiarum antiquitatem  
 ex veteribus allegantur loca, vel ex GALENO, AETIO, aliis  
 que illa utique adeo sunt obscura & confusa, ut de Petechiis  
 vix queant intelligi, cum fere semper de pustulis sermo fiat,  
 quas vero iisdem minime competere posse, definitio docebit.  
 Omnim optime adhuc quadrat locus ACTUARII m. m. l.  
 c. 23. dum inquit: Aliis vero si ab urtica aut culicibus es-  
 sent demorfi, in cute quadam efflorescent, quae modo per-  
 manent, modo revertuntur, ac crassitatem aut expultricis  
 facultatis imbecillitatem demonstrant. Nonnullis vero ru-  
 bræ aut purpureæ vel etiam nigræ emergunt, quales ex pu-  
 licum cimicuumque morsibus quotidie nobis apparent: atque  
 haec haudquaque promte redeant, utpote quæ ex tenuiori  
 pauciorique materia evascantur: ceterum ex rubris dete-  
 riores sunt purpureæ, & omnium pessimæ nigræ, quippe  
 quæ mortem plerumque denuntiant. Noster ergo Morbus,  
 qui, si etiam ab antiquis aliquo modo cognitus, tamen ab  
 iis cum aliis efflorescentiis admodum confusus, recentioribus  
 dum temporibus accuratius observatus, distinctus, descri-  
 ptus, peculiari nomine insignitus fuit, hoc saltem respectu  
 poterit vocari Novus.

## §. IV.

Est vero Febris Petechialis febrium peracutearum maligna-  
 rum species, cum exanthematibus rubicundis utplurimum,  
 modo lividis, nigris a), superficialibus, rotundis, minime ele-  
 vatis, lenti magnitudine, pulicum morsus æmulantibus,  
 mini-

minime prurientibus conjuncta. Clar. DE SAUVAGES *l. c.*  
 est genus phlegmasiae membranaceae maculis subrotundis,  
 morsibus pulicu[m] similibus, sed purpurei quandoque lividi,  
 aut atri coloris, sine tumore & pruritu cum amphimerina  
 vel tritæphobia dupli stipatum. LINNÆO *Gener. Morbor.*  
*T. VI. Amæn. Acad. p. 454.* Petechia est morbus febrilis  
 exanthematicus, contagiosus, cuius febris est exacerbans cum  
 Asthenia & Agrypnia, exanthemata vero sunt sudamina li-  
 vido-lurida, superficialia, insensibilia. Hisce notis satis  
 sufficienterque se se distinguunt Petechiae vel a maculis scor-  
 buticis, qui latiores ut plurimum absque febre continua erum-  
 punt, vel ab ipsis pulicu[m] morsibus, absentia ipsius morsus  
 puncti quodque digitis compressæ non oblitterentur; ab aliis  
 exanthematibus rubicundis febribus acutis junctis, quod ab  
 iis cutis nullo modo elevetur, exasperetur, suppuretur, exulce-  
 retur & sine ullo ardoris aut pruritus sensu sint; quibus addit  
 SENNERTUS *l. c.* quod in brachiis, cruribus, pectore & co-  
 piouis ac frequentius in dorso apparent, non autem in fa-  
 cie, cum hæc pars aëri externo semper sit obvia, a cuius  
 frigiditate facile materia repellatur, exemplo brachii, ubi in  
 parte lecto applicata, fota calore ejusdem, facile obseruentur  
 in reliqua aëri obvia delitescant.

a) Albas in Æthiopico quodam obseruavit LOEW loc. instr. cit.

### S. V.

Signa Febris nostræ diagnostica versibus expreſſerunt  
*PORTI l. c.*

— *pulsus erat minimus, tremulusque, soporique*  
*Mens vaga, visque labans; lotium crassumque rubensque,*  
*Interdum tenue instar aquæ: cineritia, flava,*  
*Alba, virens, grave virus olens fax ibat ab alvo.*

Nec non MORELLUS de Febre purpurata epidemia & peſti-  
 lenti, qua ab aliquot annis in Burgundiam & omnes fere  
 Gallæ provincias misere debacchatur. Lugd. 1641. 8°.

— Furit inde lues, & vulnere cæco  
 Sauciatur, ex templo nec sese prodit aperte  
 Ut semel est excepta intus, sed tempore certo  
 Delitet, & sensim vires per pavula captat:  
 Principio blanda est febris, sunt mitia cuncta,  
 Intus agens alitur virus, vivitque tegendo,  
 Interea nova quotidie incrementa capessit.  
 Mille modis crucians ægros, huic tractus ab alto  
 Spiritus hauritur, crebro & respirat anhelum  
 Pectus, inexhaustos calices & pocula poscit:  
 Ille sitim ardenter patiens, huic naribus exit  
 Sanguis & obsecessus fauces premit afferat lingua,  
 Hunc tussis vomitusque urget, singultibus ima  
 Ilia tenduntur, caput & pulsante dolore  
 Afficitur, cuique est papulis cutis obsita rubris.  
 Nomullos sacer Ignis edit, nam saepius ipsi  
 Carne sua exitos artus squallentiaque ossa  
 Vidimus, & fœdo patefacta debiscere hiatu  
 Membra, aliis longus molli tumet inguine bubo  
 Atque diu putri dimanant ulcera tubo.

In genere signa morbi nostri sunt ea, quæ malignum morbum solent indigitare. Malignos autem morbos secundum GAUBIUM *Inst. Pathol. Med.* §. 876. vocamus illos, qui sub exiguis pulsus, caloris, urinæ mutationibus statim latentes, ex improviso symptomata multo graviora exserunt, quam quæ ex pulsus vi & impetu possent exspectari, proindeque clam ægro infiditiae videntur ex qualitatibus minus notis, ut vi deleteria, dissolutione putredinosa, fermento, veneno, gangrænosa corruptione ortos, quibus si summa virium prostratio sese associat Cl. DE SAUVAGES *I. c.* p. 347. peculiare nomen Typhodes imposuit. Horum in numero pri-  
 mum fere locum obtinent morbi peracuti epidemici, con-  
 tagiosi, exanthematici, ortum debentes potentiis virulentis,  
 miasma-

miasmatis, vitio humorum multiplici, plurium morborum confluxioni, pravo ægrorum regimini, aut perversæ curatio- ni, in quibus nunc iterum militat nostra febris. Concepto enim miasmate vel alio modo putrida sanguini dissolutione inducta, æger per aliquot dies vix aliud quid sentit, nisi insig- gnem appetitus viriumque corporis & animi prostrationem cum pulsu parvo debili, & molestam quandam inquietudenem & jactationem corporis. Succedunt deinde in aliquibus horror, frigus, sitis, cardialgia, nausea, vomitus, in aliis cephalalgia fortior, agrypnia, dolores dorsi & artuum ten- dentes cum urina tenui sanorum simillima; hæcce excipiunt calor mitior citidime in æstum intolerabilem degenerans cum siti inexplibili; summa nonnunquam præcordiorum anxietate, cardialgia insigni, cum oris & faucium amaritie, siccitate, lingua arida squalida nigra, sensuum vel unius vel plurium obnubilationes, respiratio difficilis satis crebraque, vomitus. Interdum sopor infestat, convulsiones, deliria, subsultus, terrores in somno turbulentio corripiunt ægros, nonnullis & fanguis e naribus stillat, vel ab initio quod pejus dum majo- rem virium prostrationem arguit vel tardius. Sudores, alvus, urina modo copiosiores, modo pauciores; & urina præcipue ab initio tenuis & pallida, nunc absque sedimento magis tur- bida, rubea, flammæa, foetida deprehenditur, fæces eorum, quibus alvus liquida, cineritiae, flavæ, albæ, vel nigræ, fœ- tidissimæ. Pulsus quam maxime varius seu πολύμερος, ab initio naturali similis, a sanorum pulsu vix recedens, nunc magis inæqualis, intermittens, undosus, deficiens, inordi- natus, debilis, mox iterum legitimate febrilis, magnus, durus, fortior quoque, nonnunquam & impetuosior pro indeole ma- lignarum. Sub calore absque remissione continuante 4, 5, 7, 9, die vel tardius quoque erumpunt plus minusve maculæ petechiales modo rubræ, modo lividæ nigræ, partes corporis tectas, nec non eas, ubi majora vasa decurrunt, potissimum occupantes. Eruptione vero feliciter progrediente sensim sym- ptoma-

ptomata mitigantur, sudor sat largus & diarrhoea spontanea critice nonnunquam superveniunt, maculae sub conveniente regimine dietetico & pharmaceutico 3, 4, 5, die pallescunt, evanescunt, & sic tandem solvitur morbus, quod vero utique rarius contingit ob summam, quæ omnia-hæc enarrata symptomata arguunt, humorum dissolutionem putredinosam, solidorumque debilitatem. Adeo porro inconstantis & mutabilis naturæ, ab omnibus fere observatoribus pronuntiatur, ut vix hoc respectu aliis illo pejor. Modo enim vel levibus affectibus catarrhalibus ingruit, modo sub specie tertianæ simplicis infestat, iterum cum insultibus inflammatoriis, anginodeis, amphimerina seu semiteriana, vel triteophobia seu tertiana continua invadit, modo cum aglypnia, modo cum affectibus soporosis, cephakea insigni, ita ut omnes communis fere ore afferant illius signum pathognomicum constans minime dari posse, si ipsas petechias excipias, tardius & non nisi cum morbus jam funestissimas fere tragœdias in corpore luserit, demum erumpentes. Secta cadavera lue hacce defunctorum, uti aliorum febribus malignis exanthematicis extinxitorum, exhibebant viscera interna iisdem maculis ac exteriores partes obsessa, colore naturali viscerum præcipue nobiliorum pulmonum, cordis, hepatis a naturali maxime rececente, modo livido ceruleo colore, modo albo, livido flavo, qualia nobis exhibit WERLOSCHNIG & LOIGK in *historia pestis que ab anno 1708. ad 1713. Transylvaniam, Hungariam, Austria aliasque conterminas provincias depopulabatur p. 27.* Cor præcipue in quadam virgine rustica parvum ad coeruleitatem vergens, præter maculas nigras in circumferentia & ambobus ventriculis, liquorem atrum atramenti tinctoriis ad instar continebat, quem sanguinem summe venatum fuisse judicat WERLOSCHNIG l. c. cum ejus guttae decidentes ad cutem, maculas ustas in ea reliquerint, manifesto indicio, summam sanguinis dissolutionem putredinosam hic obtinuisse, unde & nonnulli hæc febres semipotentiales, subpe-

subpestilentiales appellantur, quoniam post pestem nullum atrociorem, maligniorem observaverint morbum. Sanguinis in hac febre detracti, cruentum vix unquam valde glutinosum, serum plerumque viride, haud raro rubellum infusum semper, observavit HUXHAM loco mox cit. HASSENRHL in Febre epidemica petechiali Viennensi a. 1757. & 1759. sanguinem e vena missum, in paucis resolutum & fluidum, in plurimis spissum, densaque crusta inflammatoria inductum. Habet IDEM & sectiones duorum cadaverum hac febre extinctorum, eadem fere sistentes quae priores, quæque ipse ratione sanguinis monuerat.

## §. VI.

Causa proxima febris nostræ seu interna, προηγείνουσα seu prædisponens, in summa humorum dyscrasia, præprimis sanguinis dissolutione putrida cum solidorum debilitate conjuncta erit querenda. Hancce derivandam esse in epidemia a contagio quodam in aere hærente infra §. 8. docebimus. Ubi vero sporadicæ quosdam invadit, quod tamen rarius occurrit, abusus sex rerum non naturalium eandem producet. Præcipuum vero & hic locum sibi vindicat aer. HIPPOCRATES de Aere, Aquis & Locis & GALENUS ὁτι τὰ τῆς φυχῆς οὐκ non solum epidemias, sed & morborum, morum & temperamentorum diversitatem in gentibus ab eodem derivarunt, & LUCRETIUS Lib. VI. de rer. nat. in eadem inquirens, mox subjungit rationem

— — — varius concinnat id aëris.  
quod ultimum recentioribus temporibus præcipue urgebat  
ILL. MONTESQUIEU *Esprit des Loix T. II.* Opp. p. 85.  
Climati diverso id adscribens. Quasnam præterea aëris fre-  
quentes & repentinæ vicissitudines ratione caloris & frigoris,  
siccitatis & humiditatis in corpore humano diversos præter-  
naturales effectus, morborumve species valeant excitare, vel

Artis Medicæ tyro jam callet; quisnam ergo miretur? si his præsentibus, minus munda seu pura vivendi consuetudo, vitia diætæ ratione reliquarum rerum non naturalium concurrunt, vel ratione cibi, si cruda, viscida, salita, partes animales ad putredinem quandam jam vergentes, pisces præcipue marini; potus vero, minus defocata aut spirituosa copiosius ingurgitantur, si sanguis per corporis exercitium, motum, a quo & solo eidem putredinem conciliari posse, HALLER *El. Physiol. L. V. Sect. II. §. 29. T. II.* p. 84 monstrat, per vigilias, Venerem nimium exagitatur, aut spiritus nimis dissipantur, excretorum & retentorum minus conveniens habet ratio, animi pathemata fortiora supervenient, oriatur primo stasis in vasculis minimis, febricula, qua forte neglecta, aut calidius aut alio perverso modo tractata, evolutis biliis & humorum digestioni inservientium partibus alcalinis, per circulationis leges hisce in sanguinem receptis, ipsius quoque partes alcalinæ, oleofæ magis evolvantur, quibus expellendis ob defectum spirituum, fractasque jam nimis vires natura non amplius sufficit, toti per consequens humorum massæ putredo inducatur, fortiusque nunc accensa febre, subtiliores aliquo modo coctæ materiæ morbillæ partes ad peripheriam corporis ducantur, maculas petechiales sistentes, novam ibidem præparationem, coctionem & crisim experturæ; eo rariores utique, quo majorem humorum corruptionem, fractas vires, majus periculum, mortem fere semper denuntient. Has Cel. VAN SWIETEN *Comm. ad Bœrb. Aphor. T. II.* p. 405. rarius, attamen in Historia Medica occurrentes, ipsi una vel altera vice in infimæ fortis hominibus observatas refert.

## §. VII.

Omnis vero Auctores, qui de nostra febre egerunt, ipsam fere semper epidemicam observarunt. Sic ubi primum observata

vata legitur in Italia inter nobiliores solummodo grossabatur  
plebi parcens, ubi præcedente hyeme austrina, pluviosa, ve-  
re quidem multa flumina inundavere: fuere pariter & ca-  
ligines quedam, quibus arborum germina, olearum præ-  
fertim quam plurima aruere: FRACASTORIUS l. c. c. 7. Ea-  
dem fere MORELLUS observavit:

per omnes

Burgundos, & quos stagnans Arar irrigat urbes  
Insolita exarsit febris, que corpora rubris  
Inficiens maculis (triste & mirabile dictu)  
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo:  
Illa eadem Italie gentes, miserumque Sabaudum  
Qui Sequanum, Rhodanumque bibunt Belgas & Iberum  
Corripuit, nec non Europa sœvit omni.

Sed Cabilonensi fato immanissima civi  
Primates popula viros, vegetaque juventan  
Sustulit, & plebi parcens in splendida tantum  
Tecta ruit, procerumque domos depasta superbas,  
Unde hæc cæca lues.

alii sœvi lethalia Martis

Sidera pestifero mundum ferentia telo  
Accusant, alii pluvios, multoque madentem  
Autumnum perflatum Austro, qui uligine cœlum  
Corrumpit, fluidaque parit contagia pestis:  
Nonnulli vitiata putant alimenta malignum  
Suppeditasse homini succum, qui putris adepta  
Labe venenatum in venis produxit ichorem,  
Unde venenati morbi unde & maxima clades  
Obsessos inter cives & egentia castra:  
Sunt, qui purpureum hunc morbum, pestemque sequitam  
Italici sobolem belli, Regumque duorum  
Gallici & Hispani numerosum militem, & ortas  
In castris febres, inhumataque corpora censent  
Ausonium tetra cœlum fœdasse mephiti.

TILIN Gius l. c. proœm. p. 5. ex MINADOO de Febrib. magn. L. I. c. 3. refert: eo tempore quo Maximilianus II. Romanorum Imperator ad Comarum & Jaurinum juratum nominis Christiani hostem fugavit a. 1566. in exercitibus magna cum militum clade petechias istas cum febribus divagatas esse; quam miseram constitutionem a vekementi capitatis dolore Cephalalgiam Ungaricam vocarunt. Hic sensim endemia facta, cum foines mali præ aliis regionibus aderat, lethaliter sœpe grassabatur, donec tandem adhibita & cognita convenienti methodo medendi curatoria & prophylactica seva ejus strages paulatim immunita fuerit. Sic & nonnunquam in Gallorum Germanorumque contra se militantium exercitibus, regionibus, ubi castra struxerant, furibunda saevit, uti seculo præterito, de qua DONCKERS descriptionem dedit in *Idea febris petechialis*. Nostris adhuc propius regionibus an. 1734. 1735. & 1736. itidem in exercitu Gallorum & Germanorum stragem edidit, de qua MOLITOR & MAYR *Diff. de Febre continua maligna & intermitente tertiana, utraque ad Rhenum 1734.* & 35. *epidemia castrensi Heidelb. 1736.* Eadem & hic loci absque tamei petechiis, solummodo Purpura alba stipata, iisdem temporibus observata, maximam quoque Medicorum stragem edidit, de qua Exp. D. D. SALZMANN *historia purpuræ miliaris albæ comprimis Argentoratum nostrum & viciniam ante biennium infestantis. Argent. 1736.* qui ideo §. 6. p. 14. incongruum nostrarium morem loquendi bene attendendum præcipit, quando dicunt: Er hat Flecken und Friesel, cum sub voce Flecken intelligent maculas rubicundas, vesiculas in purpura præcedentes, non petechias. Circa idem vero tempus & in aliis Europæ regionibus hæc febris maligna petechiis stipata epidemia observata legitur. WEITBRECHT *febrilem constitutionem petechizantem Petropoli A. 1735. graffantem dedit Regiomont. 1736. HUXHAM de aere & morbis epidem. p. 104. A. 1735. Plymuthi obseruavit epidemicam, accuratissime eandem describens: forte*

&amp;

& hic febris catarrhalis maligna Eyderostadiensis, de qua DETHARDING & HANNEUS de *Febribus Eyderostadiensis* epidemicis vulgo *Stoppelsiebern*, Hafni. 1735. p. 286. In Bohemia in exercitu Gallorum A. 1742. magnam edidit stragem SCRINCI & BACHE de *Febre maligna caſtrenſi Gallorum* Prag. 1743. id peculiaris de eadem annotans, quod nec unicus a Medicis Gallis tractatus vel minimum exanthema petechiale accepit, bene vero a Germanis Medicis, curae Gallorum præcipue id adscribens: Et in exercitu Borussorum eodem tempore, quam describit BRANDHORST *Historia febris caſtrenſis petechialis epidemica*. Leyd. 1742. Alium morbum Petechialeum epidemicum Posoniæ a. 1683. graſſatum describit LOEW Aet. N. C. Vol. 2. p 33. HASENÖHRL *Historiam Medicam Morbi epidemicæ five Febris Petechialis*, quæ ab anno 1757. fere finiente usque ad annum 1759. graſſata est, dedit, nullusque fere finis effet scribendo, si omnes huc spæciantes obſervations colligere vellentus. Plures tales præcipue catarrhales malignas petechizantes refert Exp. D. D. EHREMANN in *Diss. Inaug. de Morbo catarrhalis benigno hoc anno inter nos endemicō*, Argent. 1762. §. 3. & 4. Hisce ergo enarrandis sup̄erſedemus.

## §. VIII.

Ad hisce vero epidemias producendas contagium in aëre a nobis requiri ne quis miretur. Præeuites habemus hac in re artis Parentes HIPPOCRATEM & GALENUM II. cc. & qui ex professo de hac materia egit Cel. HUXHAM L c. qui expressis verbis nostrum morbum a contagio epidemicō maxime dispergo deducit, nec non OOSTERDYCK-SCHACHT *Inst. Med. Pract.* C. X. §. 8. qui licet prædicta ſymptomata a graviori quacunque inflammatione undecunque producta, nasci poſſint: longe tamen probabilius est ex decurſu morbi, eadem agnoscere contagium quoddam ad corpus hominis applicatum di-

cit. Non autem tale contagium ; quale CICERONI *de Divinat.*  
*L. I.* nominatur, quasi vis quedam a stellis defluat & in sublunaria influat, a multis & Medicis assumptum, ideoque ab iisdem Altrale vocatum, a sanioribus utique derisum assumimus; sed tale quod calore in aërem elevatum, OOSTERDYCK- SCHACHT *L. c. in eodem hærere, ex eo statim in hominis corpus sese insinuare; vel forte prius se cum alimentis miscere, atque ita deglutiri, vero videtur simillimum.* Tale autem semper adsuisse Observatorum fideli experientia constat. Semper enim aut prægressæ tempestates humidæ, modo calidæ, modo frigidæ, inundationes, venticalidiores, humidiores, in Italia celebres Etesiæ, in aliis regionibus Lybs, Zephyrus, Aufter, Vulturnus, quibus sub circumstantiis diversis partibus inducta putredine, partes oleofæ, alcalinæ subtiliores in auram abruptæ illam contagio quodam putridu afficiebat. Hisce nunc sese associantibus in castris urbibus obsefisis vaporibus putridis ex collectione fordinum, cadaveribus copiosis hinc inde dispersis, vel plane non, vel minus bene sepultis, carentia victus convenientis aut sufficientis, ubi deinceps coacti milites naturæ contrariis & minus convenientibus sese nutrire, sub fortiori nonnunquam corporis exercitio, vigiliisque fere perpetuis, nec non militum ipsorum fordinie & immunda fatis vivendi consuetudine : quis deinde nobiscum non sentiet; contagium ex terra in aërem elevari posse ope caloris putridum quoddam, inibi hærere, à nobis per inhalationem, inspirationem, deglutitionem ex eodem iterum hauriri.

#### §. IX.

Hocce vero contagium neque cum Hermeticis vel Antimoniale, Arsenicale, Mercuriale, Aconitale, Colchicale, Cicutosum, Napellinum &c. prout MINDERER *de Pestil.* cap. 3. p. 28, & sqq. neque cum PARACELSO *de Peste l. I.* c. 5. T. I. Opp. p. 365. Sulphureum, nec cum HELMON-

TIO

TIO Archæale, WILLISIO Salino-Acidumi, SYLVIO Alcalino-Volatile, aliisve qui vermes ægrotos febre hac correptos dejicere observarunt, uti in obsidione Hafniensi, referente BONETO Anat. Pract. L. IV. Sect. I. Olserv. 57. §. 11. p. 1493. & in cerebro post mortem inventos fuisse, & ex corpore febre Hungarica theriode defunctorum prorepsisse ex CONRADINO C. 10. febr. mis. Hungar. theriod. IDEM: & TILINGIO l. c. cap. 12. p. 182. qui lumbricos in copia ab initio febrium rejectos observavit, ideo verminosum dixerim, aut plane ad asylum quorundam rerum absconditarum ~~est~~ Hippocratis recurrerem. Si interim aliqua ex parte standum foret, potius cum SYLVIO & OOSTERDYCK-SCHACHT illud alcalinæ sanguinem dissolventis naturæ arbitrarer, haud tamen ita puræ, ut non etiam particulis volatioribus inflammabilibus, oleosis sulphureis junctum sit, aut cum SAUVAGES l. c. si in principio morbi ipsi quoddam adeat, multiplicativum, tenuissimum, halitussum, acre, septicum; aut plane cum recentiorum Sapientissimis SYDENHAMO, HOFFMANNO, BOERHAAVIO ingenue me naturam hujus contagii perfectam ignorare, faterer. Cujuscunque vero illud naturæ sit, certo residet in aere subtilissimum, inde per os, nares, fauces, pulmonis & cutis spiracula receptum, sanos humores inficit, bilem præcipue & humores digestioni chylificationique inferientes, unde deinde in sanguinem transit, mox eundem putride dissolvens, inque suam naturam vertens, omnia sub diagnosis enarrata symptomata producens. Subtilitas vero hæc tanta miasmatis hujus appetet ex MORGAGNI de Sedib. & caus. Morbor. L. IV. Ep. 49. Art. 32. T. II. p. 266. ubi profector quendam febre lenticulari demortuum audacter incidens, paulo post labore vix quasi incepto eadem febre correptus perit; cumque aliae cadaveris sectioni, animalæ febre maligna, cui apoplexia supervenerat, ipse adstaret MORGAGNUS viscerum sedem auditoribus explicaret, etsi nullus odor gravior solito existebat, nec ullum præter intinorum

storum implicationem vitium apparebat, pari febre mox correpti sunt & Prosector & MORGAGNI, a qua ultimus per plures annos fracta licet febris vi, non potuit exacte valere. Imo VAN SWIETEN *Comm. in Bærhaav. Aphor. T. II.* p. 405. §. 723. in Galliæ quodam loco Purpura grassabatur, quo bidui vel tridui spatio e medio tollebantur homines, quorum cadavera ita erant corrupta, ut nemo illa dissecare auderet, quin imo plures morerentur, qui illa inhumaverant, ex *Hist. de l' Acad. Roy. des Scienc.* 1715. p. 14. refert: & HUXHAM *l. c.* tauta fuit, tamque cita, Putrefactio Cadaverum hac febre demortuorum, ut ea sepelire fuerit necesse prorsus aliquando, aut intra horas 24. ait; vel his solis illorum nimis generalem assertionem refellentes, quod cadavera morbo epidemico maligno defunctorum non sint contagiosa. Cum interim prostent exempla plura ex parte jam supra allegata, cadaverum morbo tali contagioso, imo plane pestilenti, absque secantis damno dissectorum, & qualia exhibet BONNETUS *l. c.* regerere nobis quis posset hæc ex terrore, timore anxi, imaginatione forsan accidisse, nullum genuinum contagiose cadaverum naturæ esse documentum, sed respondemus cum MORGAGNO *l. c.* neque eadem est vis & natura omnium malignarum febrium, neque eadem omnium prosectorum dispositio, quarum neutram pro certo quispiam scire potest, hinc, cum & causa occasionalis non noceat nisi prædispositis, potuit ab aliis sectio impune institui horum cadaverum, ab aliis non ita. Et memorabile satis est exemplum, quod affert quidam de nostro morbo scriptor jam allegatus, a vestitu alicujus petechiis demortui; quem sibi attribuebant unus post alterum 30. ad 40. alii milites, omnes sensim eodem morbo fato fuisse functos, donec incensis & deflagratis his vestibus tandem malum aliquo modo in illam militum cohortem sevire cessaverit. Facile interim posse & fæpissime fieri concedimus, ut in epidemia tali, ex metu sibilium, anxietate, fastidio & aversatione, imaginatione ipsa,

in

in quibusdam, qui de cætero a commercio cum negotiis contagiiosis plane intercepto vivunt, oriantur, quotidiana id & in aliis monstrante experientia morbis.

## §. X.

Quemadmodum non datur certa ac constans nostræ febris Diagnosis, nisi ab exanthematibus ipsis, sic & eodem modo secessus habet circa Prognosin. Probe ergo distinguenda sunt Petechiae, quæ critici aliquid habent, ab iis, quæ symptomaticæ accidentunt. Illæ Petechiae, quæ nobis aliquid critici habere videntur, debent esse bona notæ, id est, purpurei rosei coloris, debent convenienter tempore, id est, diebus criticis 4, 5, 7, cum euphoria sufficienter erumpere; symptomaticæ ergo & damnoſæ e contra nobis erunt, quæ aliis morbis supervenientes, aut etiam per se mali moris, id est lividæ, nigrae, fuscae, quas MEAD mon. & præc. med. p. 16. veras granulas censet, diebus non judicatoriis ægre & cum symptomatum exacerbatione erumpere conantur, quales Variolis præcipue supervenientes obſervarunt SYDENHAM Sect. III. cap. 2. p. 85. Opp. VAN SWIETEN l. c. p. 402. HUXHAM l. c. mortis fere ſemper praesintias, & Pesti BOECLER Recueil des Observations, qui ont été faites sur la maladie de Marseille p. 46. & sq. rubicundas mox nigreſcentes & lethales, conf. & CHICOYNEAU Traité de la Peste P. I. p. 318. Tardius licet erumpentes, nec ita copioſe, ſub mitiori tamen febre rubri coloris, pulſu antea debili dum prodirent exanthemata exfurgente, reliquis poſtea mitigatis symptomaticibus haud ita timendæ. Quando vero retrocedunt, quod lubentissime faciunt, aut plane non erumpere volunt, ſumimum adeſt periculum, & paulo ante mortem horum exanthematum reſtigia quædam apparent profundè in cute hærentia. Nonnunquam fallax ſub eruptione levamen ſentiunt ærgi in quibusdam epidemias, hinc cautus ſit Medicus, & ſemper anguena ſub herba latitantem timeat. Quibus vermes ab initio ex-

C

cernant.

cernuntur, exanthemata felicius erumpunt VAN SWIETEN  
l. c. & Hist. de l'Acad. Royale des Sciences l. c. Crisis  
fit per sedes, sudores largos, foetidos, noxi coactos; sali-  
vae viscidæ uberiorem rejectionem, tumores, parotides, si-  
mul urina sudoreque bonis, abscessus in partibus ignobiliori-  
bus, purpuram, urinas ipsas, uterum, spongiolentiam unius  
pluriumve dierum; vermes multos exclusos, rarissime per  
hæmorrhagiam KLEIN Interpr. Clin. p. 223. Hæmorrhagia  
sic primis diebus & in statu periculosa, præcipue si non suf-  
ficiens LOEW l. c. Urine sedimentum in hoc morbo est lacteo-  
roseum, levi flavedine pallens, vitrumque in quo est alba cu-  
ticula imbuit KLEIN l. c. Mulieribus non æque infesta ac vi-  
ris BRANDHORST l. c. e contra LOEW l. c. duplo graviorem  
sceminiis pronuntiat. An febris petechialis, gonorrhœæ, bubo-  
nibus, ulceribus venereis, superveniens ea fanat atque radicitus  
extirpat? uti BRANDHORST l. c. forsan vere. In genere hic, uti  
in omnibus morbis malignis præcipue catarrhalibus, mala in to-  
to morbi progressu laßitudo corporis; insignis virium & ani-  
mi dejectio, fastidium ciborum, horrores versus vesperam  
recurrentes, quos validus excipit æstus, si adsunt inquietudo,  
tuffis ferox, noctes insomnes, cephalalgiae, deliria, anxieties  
mirum in modum ægros exagitantes, pulsus debilis, celer,  
inæqualis, respiratio molesta & anxia, urinæ crudæ, quibus  
accidunt subsultus tendinum, syncope, perfrigeratio extre-  
morum, maculæ lividae aut nigrae, ex his mors certa pro-  
tenditur HASENORHL historia trium morborum a. 1760. fre-  
quentius in nosocomio observatorum p. 70. adhuc magis, si  
sudor profusus viscidus, oolidus, aut factidissima livida diar-  
rhœa miseris colliquat ægrotos, lingua porro nigra aridissima,  
vox fauibus hærens, singultus, spasmi, pulsus formicans aut  
coacervatus, livor manuum ac fæpe cubitorum HUXHAM l. c.  
Salutem promittunt circa vel in diebus criticis erumpens su-  
dor tepidus liberalis per universum corporis habitum, alvus  
per aliquot dies fluxa, urina turbida cum sedimento crassfo-  
copioso,

copioso, sputum puriforme, auditus II. vel I4. die obtusior factus, pulsus mollis, magis æqualis, animus erectus, HASENÖHRL l. c.

## §. XI.

Critici aliquid habere quasdam petechias diximus, contrariantibus uti videri posset, KLEIN & HASENÖHRL II. cc., nec non Cel. HAENIO passim, qui expresse illas symptomáticas minime critici aliquid habentes afferunt. Assumimus cum his Viris febrem petechiale nullam dari idiopathicam, bene vero symptomaticam; fortiori enim sanguinis & lymphæ corruptioni originem semper debet; hæc vero humorum rarefaction, corruptio, putrefactio caloris febrilis sunt effectus. Efflorescentia ergo hæcce cutanea calori violentiori febrili, aut plane non debellando, vel non satis cito debellato aut neglecto, imo forte perverso calidiori regimine nutrito, creato cuique in omnibus fere aliis regionibus, quam Austria & Hungaria ejus ortum tribuit HAEN thes. sist. febrium divisiones, erit adscribenda, hinc damnofam semper, lethalem ut plurimum dicendam esse; criticam vero, licet rarissime, nobiscum certe Clar. Viri assument, eo tamen solummodo cum respectu, ut, si cum euphoria, bonæ notæ, conveniente tempore erumpunt, cum LUDWIGIO Inst. Med. Clin. P. I. C. I. §. 144. p. 64. pro crisi quadam metastatica possint haberi, sub qua materia morbifica quodammodo cocta, ad habitum cutis delata, in colatoriis ejusdem stagnat, ibi novam & perfectam conditionem exspectans, hancce convenienter adhibito regimine pharmaceutico & diætetico bonis ægri rebus experitur, subvenientibus ad finem aliis excretionibus criticis plenarie ex corpore eliminanda. Vicissim & hoc Illustrissimis Viris dannos, posse perbene talia exanthemata preccaveri in febribus malignis, perspecto statim ab initio a sagaci Medico morbi indeole, prudentique & convenienti adhibita cura.

## C 2

## §. XII.

relinquo sib . i . lev . ii . amibus . consolat . m . m .  
- AM . amibus summa . ali . S . XII .

Duplicem uti in omnibus epidemias malignis , ita & hic  
sibi finem in curando proponere debet Medicus , & praesentis  
jam in ægrototo mali Fugam , & sui conciviumque adhuc a lue  
immunium Præservationem ab illa . Prior therapeuticus seu  
curatorius requirit 1° Contagii eliminationem & correctionem .  
2° Virium dejectarum excitationem & sustentationem .  
3° Symptomatum mitigationem . 4° Denique prægressa suf-  
ficieni materiae morbificaæ evacuatione , partium debilitatarum  
roborationem . Alter Prophylacticus exposcit , ut aër infec-  
etus corrigetur , non infectus a miasmate præservetur , con-  
tagii ad corpus adPLICATIO impediatur , aut si hoc non fieri po-  
terit , corpus ita disponatur , ne noceat , aut saltem vix la-  
dere possit .

### §. XIII.

Therapiam Febris nostræ 1° requiri diximus eliminatio-  
nem contagii & ipsius correctionem . Obtineri poterit elimi-  
natione vel Diaphoresi , vel Catharsi , vel Emesi , aut Venæfictio-  
ne , aut Vesicatoriis . A summis vero in arte Viris hic dispu-  
tatur , quænam ex his conductant , quænam noceant , his pro-  
pria parte stantibus , ex contraria alteris . Præcipuas huc spe-  
ctantes questiones ita eleganter & accurate enodavit Clar.  
DE HAEN Rat. Med. T. III. C. I. ut quid addi posset vix  
videamus ; ita quidem , ut si vel solummodo eas tangimus ,  
brevibus ejusdem Viri prolatæ referre coacti simus . Monet  
autem statim ex RICHA Descri. Febr. epid. Taurin. a. 1720 .  
Illud esse epidemicorum morborum ingenium , ut qua me-  
thodo currente anno agrotos liberaveris , eadem ipso anno jam  
vertente forsitan e medio tollus , hinc nullam generalem ob-  
tinere regulam , hancque assertionem exemplis , præcipue ex-

SYDEN-

SYDENHAMO stabilire conatur. Circa Emesin vero, Cathar-  
sin & Venæsectionem versantur primariæ quæstiones, que  
nempe horum, & quomodo ab initio febris malignæ condu-  
cant. Et Emesin quidem quod attinet, invaluit apud Anglos,  
Gallos, Germanos mos, ut in quolibet fere morbo maligno,  
epidemico aut castrensi curæ initium facerent Vomitorio, præ-  
missa una vel altera Venæsectione, quam methodum nostris  
temporibus Angli, præprimis HUXHAM & PRINGLE ursere,  
quamquam haud semper exoptato cum successu, quin potius  
pluries infausto. Eandem vero Cel. DE HAEN, a BOERHA-  
VIO edocitus cautius vomitoris mercandum esse quam commu-  
niter illud fieri soleat, accuratius examinans, per infinitas  
observationes inventit usum vomitoriorum non solum in in-  
flammatoriis, verum etiam in putridis malignis febribus, si  
non semper noceivum magis, ut plurimum tamen supervaca-  
neum fuisse: hisce permotus eorum usum abolevit, optimè  
que habuit, loco horum ab initio statim præbendo in copia deco-  
ctum hordei vel avenæ mellitum, acido citri & nitri tantillo fa-  
turatum, aut hydrogala cum melle, cum blande emulsis,  
quibus omnibus id obtinuit, ut vel vomitum plane præcave-  
ret, vel vomitientes aut vomentes demulcente hoc & sapo-  
naceo potu, acre diluente & solvente egregie juvaret, sitim  
immoderatam juvaret, secretiones languentes restitueret,  
corruptionemque humorum, emendatis fordibus primarum  
viarum, præpediret. Nec tamen ideo a Vomitoris plane  
abstinendum præcipit, quin potius præsentibus indican-  
tibus, ipsa morbi natura id præcipiente, (qualem habuit  
SYDENHAM epidemiam, ubi egregium præstabant usum  
& absolute indicabantur, cum interim in altera simili plane  
infortunatus eorundem ipsi esset usus) vel si juxta Ill. B. VAN  
SWIETEN l. c. p. 271. hæret aliquando in morbis aliquid  
circa præcordia, quod venenata quasi vi omnes vires uno  
momento prosternit, & quondiu ibi hæret, summam debi-  
litatem facit, quamvis nihil prægressum fuerit, cui subito

*nata debilitas attribui possit, quæ certe emetico dato egregie tollitur, tñti observarunt GALENUS & SYDENHAM; eorumdem usum absolute requirat. Cautius ergo cum iisdem mercandum, eademque non nisi probe ponderatis, quæ pro & contra in singulo casu allegari poterunt argumentis, ex Pathologia & Therapia generali repetendis, exhibenda. Eadem fere est ratio Catharticorum, quæ adhuc magis ab initio, morbi sunt contraindicata, πτωσα enim φαρμακευτικῆς μέσην μὴ αἷμα præcipit HIPPOCRATES Aph. I. 22. Et funestam a purgantibus in Petechiis excitatam diarrhoeam, vid. Act. Med. Berol. Vol. III. Dec. II. p. 13.*

## §. XIV.

Venæsectionem sunt qui in morbo nostro abhorrent, ob coniunctam tantam præcipue ægrorum debilitatem, ut his venam secare eosque trucidare videatur unum idemque; alii iterum studiosissime eam laudant & celebrant. Jam statim fere eo tempore, quo febris nostra innotuit monente PORTI l. c. quæstio longa fuit, foret an referanda vena tumens. Sed utique hi, bene notaente DE HAEN l. c. nullam faciunt distinctionem inter debilitatem veram, a virium deperditione & apparentem, ab earum solummodo suffocatione pendentem; quam ultimam a plenitudine oriri sæpe, ipsa pullus debilis a plethora notio involvit, & si non a plethora, a sanguinis tamen alias non nimii rarefactione venire posse, exemplis demonstrat IDEM; causam secundum illum agnoscens, sanguineorum vasorum interceptionem spirituumque inter vasa, quæ turgendo nervos comprimunt. Hujus vero citissimum remedium in Venæsectione ponit quis negabit, & qui negat irrefragabile Juvenis SYDENHAMI exemplum consideret, animam hac de ipsa causa agentis, nec nisi post tertiam quartamve Venæsectionem bene curati & videat num porro negare poterit. In nostra autem febre, si non vera utique aderit plethora, certe rare-

rarefactionem summam adesse debere sanguinis, quisque perspicit, qui humorum dissolutionem putredinosam a motu intestino summo fieri debere, hæmorrhagiasque nonnunquam easdem admodum fæpe largas accedentes, perpendet. Optime ergo IDEM Clar. VIR & HUXHAM II. cc. curam febris nostræ ordiuntur Venæsectione, ab initio profuturam, raro post unquam, cūcubitus subjungentes, si necessitas illas efflagitaverit. Et HASENÖHRL *Hijl. Febr. epid. Petech.* Vienn. an. 1757-1759. ideo quam maxime necessariam eandem statuit, cum non semper ad sanguinem resolutum in petechiis concludere liceat, vidi enim in plurimis quoque spissum, densaque cruenta inflammatoria obductum. In inflammationibus vero quam necessaria, quam egregia Venæsection & repetita. Qui vero illam nimis celebrant, uti Galli nonnulli & qui eos sequuntur, ii præcipue ex hoc capite male agunt, quod per evacuationem nimiam sanguinis, vires ægroti jam satis fractas, nimium adhuc debilitent, unde postea miasmati per colatoria cutis, vesicæ, aut alvum eliminando, natura minime par erit. Et hæc ratio videtur SCRINCI L. c. una ex præcipuis, quod Gallorum, licet in athmosphæra & patria quasi petechiarum fuerint, ubi ordinarie homines, dum febribus malignis corripiuntur, exanthemata sive petechialia sive miliaria alba accipiunt, nullus a Medicis Gallis tractatus, bene vero a Germanis, vel minimum exanthemata acceperit, idque tanto magis mirabile, quo major ægrotorum numerus, cum ad minimum 30000. Pragæ existentium, numerari potuissent, fuit.

## §. XV.

Quæ ad contagium ex corpore eliminandum faciunt dia-phoretica & epispastica considerationem quoque merentur. Cum cardo felicis curationis præcipue in hoc versetur, ut transpiratio semper servetur libera minimeque impediatur, cum

cum vel a sola nimis cito permissa indusiorum mutatione quamvis debitis cum cautelis, observaverit subitaneam quasi mortali exacerbationem pericolosam, donec vini Hispanici tantillo vires & sudorem & petechias restituisset **VAN SWIETEN** *I. c.* omnesque Autores in febribus contagiosis, pestilentialibus & sudoris remissionem perniciissimam pronuncient; eo semper allaborandum, ne Bezoardicis aut Alexipharmacis calidioribus æstum sanguinis nimium augeamus, interim tamen sudorem egregie & quantum fieri poterit, non interrupto ordine excitemus & promoveamus, quod optime fieri poterit per lenia aromaticæ acidis mixta. Quo nomine se se commendant Anglis **HUXHAM & PRINGLE** *II. cc.* Decoctum radicis Serpentariae, aut ex eadem & radice Contrayervæ Electuarium, ill. **VAN SWIETEN** *Comm. T. III. p. 125. §. 950* scordium, ruta, angelica, similiaque Alexipharmacæ larga copia aquæ infusa, vino vel aceto remista. **HUXHAM** præterea vinum rubrum ustulatum (*vin brûlé*) Cinamomo & Maci incocatis, cum aquæ pauxillo. Quæ alii hunc in finem laudant Opiata, ut in acutis hisce exanthematicis, **STOERCK** *Ann. Med. I. p. 71.* cum ipsius alias Opii præcone Cel. **TRALLES** *Uſus Opii ſal. & nox. Seſt. II. c. 2. p. 182.* tutius exulare jubemus, cum eadem sanguinis massam jam dissolutam, adhuc magis dissolverent, malignitatem augerent; Camphoram interim cum Cl. **HUXHAM** *I. c.* ceu minus timendum lene anodynum & antiphlogisticum optimam, urgentibus symptomatibus permitentes, licet & **V'RATISLAVIENSES** *Hoff. morb. a. 1699.* talibus in febribus malignis interne aliquando plus detrimenti quam auxiliis attulisse eam observarint. Sub horum vero uſu Epispaſtica & Veſcantia, si symptomata efflagitaverint, omni tempore variis in corpore locis, ad liberanda a materie morbifica organa vitalia, poterint applicari. Enemata quoque pro re nata copiosa poterint injici, quamvis & hæc aliquando in Epidemia a. 1674. contraindicata fuſſe referat **SYDENHAM, & SCRINCI** *I. c.* itidem illorum copiosum uſum in Gallis taxet. Prudentis  
Medici

Medici semper erit ita suam methodum curatoriam ordinare, ut perspectis epidemiæ genio, pensatis morbi, symptomatumque gradu, ægrique viribus, talia præscribat, a quibus debitus & exoptatus semper obtineatur effectus, nec a præpostera adhibitione medicamentorum morbus augeatur aut plane lethalis evadat.

## §. XVI.

Alteram indicationem curæ nostræ fecimus virium dejetarum excitationem & sustentationem. Hanc præter ea §. præc. laudata, convenienter exhibita, præstabunt Cardiaca leniter stimulantia, subacida, Vina generosiora vetusta, Aceta aromatica, Rutæ, Sambuci, Squilliticum & celebre illud quatuor Latronum PHARMACOPOEÆ PARISINÆ p. 26. succi & gelatinæ ex fructibus horræis acidis, nec non Syrupi & Roob exinde parati, Spiritus itidem Vitrioli dulcis & quæ sunt hujus generis alia. Præcipuum autem hic locum sibi vindicat celebratus contra putredines particulares, quidni & in universali bus Divinus Cortex a MORTON, TORTI, SYDENHAM, HUXHAM, VAN SWIETEN, PRINGLE II. cc. cuius virtutem antisepticam & cardiacam fideli experientia eaque felicissima, solidisque rationibus firmarunt, recentissime adhuc DE HAEN I. c. & HUXHAM, omni non tempore febris malignæ non exhibendus commodissime methodo HUXHAMI *Essay on fevres chap. 8. p. 123.* ejus Uncias duas cum Spiritus Vini Gallici Unciis XX. infundendo, hujusque drachmam unam ad unciam fémis usque, a quatuor, sex, octo horis, cum 15. aut 20. guttis Elixir Vitrioli propinando in conveniente vehiculo. Nec est, quod quidam funestas inde obstrunctiones generari timant: tantus observationum in contrarium numerus illos circa hæc securös esse jubet; imo STOERCK I. c. sanguinem eorum, qui eo per tempus jam usi fuerant, e vena secta misum minime compactum, inspissatum, e contra rutilum te-

D

nueni,

nuem, post horam in multum serum & exiguum, levis consistentiæ placentam abire vidit.

## §. XVII.

Symptomatum mitigationem ita instituet prudens Medicus, ut semper eadem habito respectu ad morbum primarium, aut profligare, aut imminuere tentet. Plurimis ex iisdem succurrimus jam eis, quæ §§is præced, dicta & laudata fuere. Sic virium prostrationis enarratis cardiacis, externe etiam in majori fomentis vinosis hinc inde applicatis; Delirio, agrypniae, comati, convulsionibus, aphoriiæ, subsultibus, epispasticis, enematibus, Camphora: affectibus catarrhalibus præcipue tussi, si ea urgeat, Oxymelle squillitico, Kermes minerali, nec non aliis paregoricis. Si hacce methodo morbus jam profligatus, aut sive multum imminutus fuerit, tunc apparentibus in Urina signis coctionis ad materiæ morbifice plenariam eliminationem facilitandam lenia Laxantia, Rhabarbarino-Mannata, Tamarindinata præcipue & Cassiata exhibemus, continuato ad partes debilitatas rorborandas Corticis Peruviani cum Extraëtis amaris usu subdiæta refrigerante, Antiscalina, vegetabili magis quam animali. Egris & perbene quoniam quam maxime extenuantur, si ab hoc morbo convalescunt, usus Aquarum mineralium Martialis indolis cum Lacte, aut Decoctum hordei cum Lacte, nec non ipsum Serum Laetis & Juscula medicata confortantia cum herbis antiscorbuticis & refrigerantibus concedi poterit, & sic quartus quoque scopus adimpleri. Post superatas petechias remanentem in quibusdam auditus gravitatem, visus imbecillitatem, amaurosin, tumorem album mollem faciei, vesicantibus nuchæ adpositis alterno die exhibitis draisticis, feliciter curavit, subjuncto cortice iterum & diæta reficiente, STOERCK l. c. p. 7. § 56. IDEM & hunc morbum fecutos sudores nocturnos diæta reficiente & decocto

Salviae

Salviae; aut scabiem pruriginosam, uno vel altero purgante  
& decocto radicis Bardanæ copiose hausto fustulit, *ibid.*

## §. XVIII.

Methodum prophylacticam febris nostræ præter eos, qui vel in genere prophylaxin morborum contagiosorum tradiderunt, vel de nostro ex professo egerunt, in specie dedere, RHUMEL *prophylace luis epidemicae ἐγκεφαλούσεως*, PORTIUS *de Miltitis in castris sanitate tuenda P. IV. Cap. 4. p. 166. & sqq.* Glasers nützliches Verhalten bey der jesso in Deutschland regierenden Fleckfeber, Seuche um sie zu verhüten und wieder zu dämpfen. Omnes in eo conveniunt sollicite omne commercium cum locis affectis evitandum esse, aerem purificandum per ignes hinc inde accensos, quibus injicienda Nitrum, Sal commune, Acetum; item Pulverem Pyrium & Sulphur accendendo, in conclavebus vero fumos ex variis speciebus aromaticis: ades præterea aut saltē conclave versus austrum sitas, nec non omnia loca foetida, latrinas, cloacas fugiendo, salivam, si in loco affecto versare coacti fuerimus, exspiendo frequentius, naresque mungendo, in genere deinceps quoad Diætam juxta illud SCHOLE SALERNITANÆ

*Medici tibi sunt  
Hæc tria: mens hilaris, requies, moderata diæta.*

Animi enim tranquillitatem hic multum facere nemo non perspicit. Diæta tenuis subacida, nec Baccho nec Veneri nimis indulendo, juxta proverbium: Niemals nüchtern, niemals voll, thut in Sterbensläufen wohl. Omnes quoque excretiones liberæ serventur præcipue sudor & alvus, ne tam enī quid nimis. Medicamenta scopo huic inservientia optima sunt, iterum Aceta illa aromatica supra jam laudata mane ad cochlear unum vel alterum præcipue le *Vinaigre des quatre voleurs* & le *Vinaigre Romain*, quorum prior vel ab hoc ejus usu, cum latrones a peste Massiliensi fese


præcave-

præcaverint, nomen accepit. In hunc finem alii quoque Fumum Tabaci fugunt, alii iterum Pastillos, Trochiscos aromaticos manducant. Instar fere omnium vero & hic item esse poterit jam supra laudatus Cortex Peruvianus cuius & in præcavenda epidemia virtutem agnoscerunt, DE HAEN & TRALLES II. cc. nec non Meth. Med. variolis haætenus cognita sepe insufficiente. Quæ alii laudant specifica, Amuleta & quæ sunt hujus generis alia, nullam merentur fidem. Hæc B. L. nunc sunt, quæ de Petechialibus Febribus monenda censui: si tumultuarie nimis conscriptas, rudique calamo exceptas hasce pagellas, mancas hinc inde minusque concinne adordinatas, inveneris, id festinantissimo calamo & tenuis ingenii viribus condones, rogo.

## T A N T U M!








**ULB Halle**  
005 978 556

3





B.I.G.



Q. D. B. V.

D E  
P E T E C H I A L

E T A U C T O R I T A T E  
A C U L T A T I S M E D I C A E

P R O  
E D I C I N A H O N O R I B U  
E G I I S D O C T O R A L I B U S  
E C O N S E Q U E N D I S

N I T E R D I S S E R E T  
S C A R O L U S R A V E N S T E I  
L A N O B I P O N T I N U S

M I L . J U N . M D C C L X I V .

H . L . Q . C .

dedit cui purpura nomen  
corpora nostra colore  
aculis, novitate maligna

PORTI Dec. Med. L. X. c. 23.

G E N T O R A T I  
C U S H E I T Z Universitatis Typographus.